



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

26. Commutatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Dum peccatis meis facientibus orbatus sum à filiis, mihi placuit ut illum unà cum consensu patris sui in civitate illa cum curia publica de potestate patris naturalis discedentem & in meam potestatem venientem in loco filiorum adoptassem. quod ita & feci. Ea verò ratione ut quandiu advixero, fideliter mihi præstet solatium vel adjutorium, & omnes res meas diligenter excolat, & post obitum quoque meum, sicut à me genitus fuisset, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis sit successurus; vel quicquid de supradictis rebus meis, quantumcunque moriens dereliquero, facere voluerit, jure proprietario, absque repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inferere placuit, ut si fuerit ullus ex heredibus meis, vel quilibet persona qui contra hanc epistolam adoptionis aliquid contra te aut contra eum cui tu ipsas res dereliqueris calumniator aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc adoptio gestis alligata firma permaneat.

Epistola qualiter pupilli recipiantur.

L. unic. C.
Th. qui pe-
titor tut. in
interp.

XXIV. Lex Romana constringit ut qui tutores noluerint esse parvulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ex ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille iudex provincie illius, dum & omnibus habetur percognitum qualiter parentes istius præsentis orphanuli nomine illo ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minime suas procurare potest necessitates, ideo unà cum consensu primatibus civitatis convenit nobis ut istius patris sui, unà cum omnia bona sua, factò ac conscripto rerum inventario, ei sub officio tutoris commendare deberemus. quod ita & fecimus. Ea verò ratione ut per nullam occasionem supradicti pupilli hereditas, quicquid in pago illo in villas nuncupantes illas videtur habere, non minuatur, sed ipsas res vel mancipia atque omnia sua substantia diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secundum legis ordinem cum omni integritate servata reddantur. Vnde convenit nobis ut duas epistolas uno tenore conscriptas exinde conscribere vel adfirmare deberemus. quod ita & fecimus. Vnam quidem jam dictus patruus suus se-

Tom. II.

cum retineat, alteram verò aliquis homo nomine ille de manu nostra vel jam dicti pupilli suscipiat, ut futuris temporibus, Deo auxiliante, sub testificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

Pactum inter parentes.

XXV. Caritatis studio & dilectionis affectu inter propinquos decet ut quicquid de rebus eorum inter se dividerint, scripturarum serie alligetur, Romanæque lege ordinante ut quicumque in ætate perfecta pactiōnem vel definitionem per scripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumpserit, infamis vocetur, & ipsam causam agere non permittatur, atque poenam statutam cogatur exsolvere. Igitur placuit atque convenit inter illum & germanum suum illum ut hereditatem paternam atque maternam inter se dividere vel exæquare deberent. quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille in portione sua villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, vel cetera quæ sequuntur. Similiter è contrà accepit ille in compensatione portionis suæ villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, vel cetera quæ sequuntur. Hæc quidem omnia unanimiter consentientes, pars partem tradidisse vel consignasse cognoscite, ita ut quicquid post hunc diem unusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, absque nostris repetitionibus liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquando aliquis ex nobis aut heredibus nostris contra has epistolas aliquid agere vel refragare præsumpserit, ejus repetitio nullum obtineat effectum, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & præsens pactio vel definitio cum stipulatione subnixa firma permaneat.

L. 6. C. Th.
de pactis in
interp.

Commutatio.

XXVI. Inter quos caritas inlibata permanserit, à parte parti beneficia opportuna præstantur. Ideoque placuit atque convenit inter inlustrem virum illum & illum ut loca aliqua inter se commutare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit igitur vir inluster ille partibus illius locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, silvis, pratis, piscuis, aquis, aquarumve decursibus,

H h

mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adjacentiis, vel omni supraposito, totum & ad integrum, de jure meo, sicut presenti tempore à me videtur esse possessum, in tua trado potestate vel dominatione. Similiter in compensatione hujus meriti dedit jam dictus ille partibus illius alium locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, vel cetera quae sequuntur, ita ut ab hac die unusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, jure proprietario liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud inter nos inferere placuit, & si ullus ex nobis vel heredibus successoribusque nostris fuerit qui hoc immutare vel refragare tentaverit, rem quam accepit amittat, & insuper quis contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum, sed hae commutationes uno tenore conscriptae omnique tempore manent inconvulsae.

Confirmatio Regis, vel inspecta ista, cujuscunque Principis, in eo qui ab hostibus est depraedatus vel ab igne concrematus.

XXVII. Merito largitatem Regis munere sublevantur qui ab hostibus vel incendio passi sunt damna vel violentiam. Igitur fidelis noster ille clementiae regni nostri suggessit eò quòd ante hos annos exercitus noster aut illius Regis, vel per negligentiam alicujus hominis in loco nuncupante illo, domus suae vel res quamplures unà cum strumenta chartarum, tam quod regio munere perceperat, quam & de diversis partibus per venditiones, donationes, cessiones, commutationes adtraxerat, vel quicquid in pago illo, vel loca nuncupantia illa possederat, incendium fuisset crematum, unde relationem sub testificatione bonorum hominum cognovimus recensendam, omnes res suas vel strumenta chartarum perisse, vel sibi, sicut nobis suggessit, damna sustinuisse. Praecipientes ergo jubemus ut quicquid memoratus ille, sicut usque nunc tam de terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, usque ad praesens cum aequitatis ordine quietus possedit, & ita deinceps in jure & dominatione ejus permaneat, & per hunc praecipuum plenius in Dei nomine circa eum suffultum atque confirmatum absque ullius inquietudine teneat & possideat, suisque posteris aut cuicunque voluerit ad possidendum dere-

linquat. Quam verò auctoritatem propria manu subter roborare decrevimus.

Item appennem.

XXVIII. Consuetudo hujus loci vel etiam legis terranae justitiae constat esse prospectum ut quicumque ab incendiis vel hostibus seu à latronibus fuerit perpeffus dispendium, oportet sibi hoc casu in foro publico vel civitate cum curia publica & defensore vel reliquis civibus publicare. Idcirco dum non habetur incognitum qualiter homo nomine ille per timorem illius qui Turonus civitatem anno praesente hostiliter venit, & multa mala ibidem perpetravit, strumenta sua de loca denominata vel de diversis facultatibus suis subtrahit terram in villa illa misit, & ibidem computruerunt & perierunt, propterea ei necesse fuit ut unà cum notitia pagensium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus civitate appennem exinde deberent adfirmare, ut quantumcunque per ipsa strumenta tam in terris quam in mancipiis, seu & reliquis rebus, sicut usque nunc quieto ordine tenuit & possedit, ita & admodum liceat inantea ipsas res quietè tenere & possidere, & cui voluerit, Christo auxiliante, derelinquere. Unde convenit ut duas epistolas uno tenore conscriptas exinde fieri vel adfirmare deberent, ut una in foro publico in ipsa civitate sit adfecta, aliam verò ipse secum pro cautela & temporibus futura apud se retineat, ut si ei inantea necesse fuerit, in praesentia Regis aut Principis loci sit proferenda. Actum ibidem.

Editio legibus comprehensa.

XXIX. Lex Romana pro utilitate humani generis exposcit ut si quando cujuscunque injusta appellatio comprobatur, sumptus quos post appellationem adversarium suum accusator compulsi sustinere, non in simplum ei sed in quadruplum ab accusatore cogatur restitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non est incognitum qualiter apud te homo ille nomine illo in rationes publicas ante inlustre viro illo vel reliquis viris qui subter tenentur inserti, Turonus civitate adfetti de aliquibus locellis nuncupantibus illis, sitis in pago illo, quae mihi per legitima successione sunt debita, & tu praesenti tempore malo ordine eos possidere videris, unde apud me in responsum introire noluit, nisi, sicut lex edocet, tibi inscriptionem de sumptibus & expensis confirmassem. Ideo placuit mihi ut hanc editionem in te adfirmare de-